



BOLETIN ECLESIASTICO

DE LOS OBISPADOS DE

SALAMANCA Y CIUDAD-RODRIGO.

SUMARIO. Circular de la Secretaría de Cámara anunciando Ordenes.—Decreto de la S. C. de Ritos sobre autenticidad de las Reliquias del Apóstol Santiago.

SECRETARÍA DE CÁMARA Y GOBIERNO DEL OBISPADO.

S. E. I. el Obispo mi Señor, ha determinado celebrar, Dios mediante, Ordenes generales mayores y menores los dias 19 y 20 del próximo Setiembre, Témporas de S. Mateo. Los aspirantes presentarán en esta Secretaría los documentos de costumbre hasta el dia 6 de dicho mes, en el que tendrá lugar el Sinodo.

Salamanca 8 de Agosto de 1884.—*Dr. Alejo Izquierdo Sanz*, Canónigo Srio.

DECRETUM

HISPANIARUM SEU COMPOSTELLANA.

Celeberrima inter Sanctuaria, quae in toto terrarum Orbe á Christifidelibus maxima coluntur veneratione, sacrisque frequentantur peregrinationibus solvendi voti causa, quaeque Summorum Pontificum constitutionibus pari habentur honore, nobilissimum prae fulget Sepulcrum Sancti Iacobi Maioris Apostoli in Urbe Compostellana Hispaniarum, quo delatum est eius sacratissimum Corpus ab Hierosolymis postquam, Herode iubente, gladio fuit percussum. Sepulcrum huiusmodi per tot saecula innumeris divina ope illustratum prodigiis, illaesumque servatum tum in Arabum occupatione, tum in aliis temporum calamitatibus, quibus Hispaniae extitere obnoxiae, habitum semper fuit veluti praecipuum Nationis huius praesidium. Hac de causa thesaurus iste pretiosissimus tutissima munitus fuit custodia, et saeculo decimo sexto decurrente ob Anglorum incursionem, qui, Catholica eiurata fide, Hispanicis regiones pervadentes. Compostellam adire contendebant praecipue ad illum abripiendum et disperdendum, é veteri custodia Archiepiscopi cura remotum, adeo secretiori reconditum est loco, ut sequioribus saeculis ille prorsus á Christifidelibus ignoraretur. Ibi tamen ex historia certissime noverant sacra Pignora nunquam é Maiori Basilicae Compostellanae Sacello fuisse amota, simulque ex iurgi et constanti ad nos usque traditione persuasum habebant in praedicti Sacelli Abside illa adhuc servari.

Cum autem hodiernus Archiepiscopus Compostellanus Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Michael Paya y Rico nonnullis abhinc annis egregiam posuisset operam pro instauratione Basilicae huius, hanc nactus occasionem pium insua mente maturavit consilium, reperiendi scilicet locum, in quo tecta manebant Sepulcra Sancti Iacobi Apostoli, et Discipulorum eius Athanasii et Theodori. Ad id assequendum dirigentibus viris peritissimis, et in ecclesiastica dignitate constitutis ab ipso selectis, omnes ab operariis investigatae sunt subtus et circum altare maius latebrae; sed labor haud prospere processit.

Demum in centro Sacelli Absidis retro altare maius-effosso pavimento, inventa est arca ex lapidibus et lateribus confecta, in qua extabant ossa ad tria sceleta sexus virilis pertinentia. Super his omnibus Eminentissimus et Reverendissimus Cardinalis Archiepiscopus, exquisitis illustriun peritorum sententiis, processuales condidit tabulas; inquisitumque est, an in iis ossibus repertis constaret de identitate Corporum Sancti Iacobi Maioris Apostoli et Discipulorum eius Athanasii et Theodori? Et consideratis omnibus, quae consideranda erant, suum pronuntiavit affirmativum iudicium. Deim acta processualia sententiamque suam Eminentissimus et Reverendissimus Archiepiscopus ad Urbem misit, ut supremo Summi Pontificis iudicio subiicerentur, sententiaque sua apostolica Auctoritate confirmaretur. Sanctissimus autem Dominus Noster LEO PAPA XIII gravissimum huiusmodi negocium peculiari Sacrorum Rituum Congregationis Coetui pertractandum remisit. Quo habito ad Vaticanas aedes die xx Maii anni huius, responsum datum est: *Dilata,*

et ad mentem; et mens fuit, ut nonnullae difficultates gravioris momenti lucidius enuclearentur. Quo facilius id praestaretur, á Sanctissimo Domino Nostro missus est Compostellam R. P. D. Magister Augustinus Caprara Sanctae Fidei Promotor, ut singula inspiceret, inquireret, et referret. Romam reversus accuratissima relatione muneri suo egregie satisfecit. Qua propter iterum iisdem collectis Comitiis ad Vaticanum die xix Iulii vertentis anni MDCCLXXXIV, ad propositum dubium: « An sententia lata ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Archiepiscopo Compostellano super identitate Reliquiarum, quae in centro Absidis Sacelli Maioris Metropolitanae eiusdem Basilicae reperiuntur, et Sancto Apostolo Iacobo Maiori, eiusque Discipulis Athanasio et Theodoro tribuuntur, sit confirmanda in casu, et ad effectum de quo agitur? »

Tum Eminentissimi et Reverendissimi Patres Cardinales, tum Praelati Officiales, remature discussa et perpensa, responderunt: *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam.*

Facta vero de iis per me infrascriptum Cardinalem fideli relatione, Sanctissimus Dominus Noster Sacrae Congregationis sententiam ratam habuit, et sua Auctoritate Apostolica confirmavit. Mandavitque, ut de hoc Decreto expedirentur Litterae Apostolicae sub plumbo. Die xxv Iulii. in Festo Sancti Iacobi Maioris Apostoli anno MDCCLXXXIV.—D. CARDINALIS BARTOLINIUS S. R. C. PRAEFECTUS.—L. † S.—LAURENTIUS SALVATI S. R. C. *Secretarius.*

Salamanca. — Imp. de Oliva.

